



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Basilicae S. Mariae. Maioris De. Vrbe A. Liberio. Papa. I.  
Vsque Ad. Pavlvm. V. Pont. Max Descriptio. Et. Delineatio**

**Angelis, Paolo de**

**Roma, 1621**

Cap. IX. De quarta sacelli parte interna.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13873**

DE QVARTA SACELLI  
PARTE INTERNA.

## Cap. IX.

**V**M ad huc internæ facelli partes fuerint explicatae; sequitur quarta pars, quam ob eius nobilitatem in plura capita distribuemus. In primo celebre monumentum Pauli Quinti declarabimus, historias comprehensas, atque ornatus. In altero hujus partis reliquum cum ceteris ad illam spectantibus. In tertio legatos à remotis, nec cognitis locis exprimemus à potentibus Regibus ad Paulum Quintum Pont. Max. missos; quod pro historia deseruiet, quæ in sepulchro exprimitur. Igitur hæc quarta pars interna ad orientem respicit; in cuius medio Pauli V. Pont. Max. monumentum aſurgit, quod pro viribus, in præſenti describemus. Tale monumentum illi Clementis VIII. affimilatur, non ſolum in marmoribus, columnis, & ornamentis, ſed etiam in modulo; ob quam rem non omnia minutatim designabimus, ſed tantum ea, quæ à primo diſcrepan. Primum autem Pauli V. Pont. effigies occurrit, quam noble loculamentum continent supra paraſtas locatam, genibus flexis, atque manibus iunctis Virginem respicientem, & orantis ſpeciem preferentem, ex albo marmore artificioſe conſtructam. Sub hac in indice lapide, auro hæc legimus ab eodem Pontifice composita.

PAVLVS V. PONT. MAX. MORTIS MEMOR VIVENS SIBI POSVIT.

A laeva in loculamento, quadrata figura Ferrariae arx cernitur à Clemente VIII. pro populi tutela aedificata, vbi Paulus Sabelius Albanen. Princeps, & Sedis Apostolicæ Generalis Vicegerens, & Pontifici Arcis modulum aperiens multis Cardinalibus aſtantibus, pro cuius munitione Paulus V. quingentos mille aureos nummos impedit, hodie verò prima Italæ Arx reputatur; & maiori porta Pauli V. insignia cum his verbis renident.

**A** PAVLVS V. PONT. MAX. ARCEM FERRARIÆ A CLEMENTE VIII. PONT. MAX. INCHOATAM IN OPPORTUNIOREM FORMAM REDEGIT ATQVE PERFECIT ANNO SAL. M. DCXI.

**B** A dextra in altero loculamento ex canido marmore historia adeſt auxilia continens primis Pontificis annis ad Cæfarem in Vngariam adducta aduersus Turcas Christiani nominis hostes, per Iacobum Cardinalem Serram tunc Cameræ Clericum, & Sedis Apostolice Commissarium. Super haec quatuor Cariatides infiſſunt, & perſimili loculamento ſanctæ Francifæ Romanae, & ſancti Caroli Borromæi inter Sanctos annumeratio appetat à Paulo Quinto celebra, ex albo marmore, nobili arte conſtructa. Super Pauli V. Pont. Max. effigiem ſuæ coronationis historia eſt in albo marmore exculpta, quæ anno 1605. 29. Maij mira urbis, & orbis lœtitia celebrata fuſt per Franciscum Sforiam primum Diaconum Cardinalem tit. ſanctæ Mariae in via lata, & Alexandrum Perettum Cardinalem Montaltum tit. S. Laurentij in Damaſo S. R. E. Vicecancellarium. Ab huius laeva eodem ordine perplurimum Principum legationes repreſentantur ad Christianæ, & Catholicæ Religionis bonum ſpectantes, ad Paulum V. missa ex ignotis, & à Romana Societate alienis locis. Nos cum vel nihil ab alijs dic̄tum, vel quædam fuerint omiſſa paucis infra ſignificabimus. Super has, coronis extenditur pario marmore deducta; à cuius me-

*Vide Stringā in  
Cronol. Ecclesiſ.*

dio fastigium ſe effert eodem marmore conſtructum, & Pauli Quinti Pontificis Maximi insignia complectens, binis vafis à lateribus locatis, quæ tale opus determinant.

